

Werk

Titel: Dubia De Principiis Philosophiae Recentioris

Autor: Forsskål, Peter

Verlag: Luzac

Ort: Goettingae

Jahr: 1756

Kollektion: vd18.digital

Gattung: Dissertation:phil.

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN641608004

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN641608004>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=641608004>

LOG Id: LOG_0002

LOG Titel: Abschnitt

LOG Typ: section

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

EXCELLENTISSIMIS ATQVE AMPLISSIMIS
PHILOSOPHIAE IN ACADEMIA GOETTINGENSI
PROFESSORIBVS ORDINARIIS,
SAM. CHRIST. HOLLMANNO
ET
IO. DAV. MICHAELIS
PRAECEPTORIBVS SVIS FAVENTISSIMIS,
DILECTISSIMIS,

S. P. D.

P E T R V S F O R S S K Å L.

Opellam Vobis adfero, de qua mihi verendum est, non
quidem ne pace Vestra, Viri Celeberrimi, lucem
non adspiciat publicam, sed ne hoc alii nesciant. Vestris
enim colloquiis humanissimis satis ipse didici, quam pla-
cide dubia de illis rebus, quas lectionibus docueritis, au-
diatis

diatis, adeo ut incerta mihi spes esse nequeat, vel haec levissima Vos sine offensione lecturos. Immo, ad justam dubitationem ipsi ducitis, cum viam, qua Vos ad id eruditio*nis* fastigii, quo clarescitis, felices pervenistis, auditoribus etiam demonstratis, atque examinare suopte ingenio omnia, & argumenta sequi, non auctoritates, ne Vestrā quidem, rarissimo exemplo, suadeatis. Quare veritatis etiam in aliis amore*m* Vos propensissimo affectu complecti, de hoc uno dubitare, illis, qui scholis Vestrī intersunt, nefas esset. At facile fieri posset, ut eis, quibus magna Vesta eruditio, quam magnus animus, notior est, videar forte veritatis studio modestiam posthabuisse, cum publice in Vesta urbe de nonnullis etiam, quae Vos olim scriptis defendistis, ambigere sustineam. Illorum in gratiam, qua ratione eo venerim, paucis aperiam. Praecipua principium rationis sufficientis spectant. Illud ante complures annos, cum Logicam cel. BAVMEISTERI pri-
mum legerem, in qua lemmatis instar principium hocce initio ponitur, fidei cel. Viri credidi, demonstratum ab eo in Metaphysica esse. Paullo autem post audivi de argumentis illis disputari, quibus Deum esse efficitur, atque id, quod a contingentia rerum & motus & quietis tet. capacium ducebatur, potissimum judicari. Nullam autem convincendi vim sentiens, negabam tuto ita posse concludi. Ablegabar itaque ad principium rat. suff. ejusque probationem illam primum, quae & a cel. BAVMEISTERO datur. Tum demum deprehendebam, me principium illud non satis intellectisse, atque in demonstratione ejus vitii quid commissum esse suspicabar. Hac mente ea aggredienti, quae laudatus scriptor, & quae eodem solenni modo multi alii, pro ea thesi habent, non potuit difficile

ficile esse, quantus ibi voce nihil paralogismus tegatur,
animadvertere. Principium itaque ipsum ejusdem cum
hac demonstratione ponderis esse credebam, & cum ad
controversiam de libertate actionum humanarum venis-
sem, ea mihi confirmata sententia est, idem prorsus non
posse demonstrari. Ita ergo male erga hoc principium
animatus, fatebor enim, ad Vestra subsellia accessi, &
ni hoc fuisset, fortassis novae Vestræ argumentationes,
aliter ut sentirem, effecissent. Nunc autem de liberta-
te humana sollicitus exitum & ex his Vestræ studiose
quaesivi, videorque mihi invenisse. Quodsi jam adeo mi-
hi contigerit felici esse, ut Vos in meas partes pertra-
herem, Vestrum certe nactus, de aliorum iudicis non du-
bitarem. Sin minus autem, hoc tamen addite Vestræ in
me meritis, ut literis significetis, Vos non aegre fer-
re, quod veritatem ex argumentis non ex celebratis no-
minibus repetere voluerim, quod itaque Vesta monita,
Vesta exempla, vel a Vobis ipsis paullulum discedens,
obsequendo imitandoque veneratus sim. Ita & me omni
liberabitis inhumanitatis suspicione & nova orbi literato
vestigia praebitis, qua ratione deceat, veritatis amo-
rem vel in dissentiente confirmare discipulo. Vestræ et-
iam oppositionibus ipsum disputationis actum utiliorem
mihi & illustriorem reddere grave ne ducatis. Cete-
rum quanta voluptate, quanto literarum mearum bono,
dimidium hoc lustrum in Vestræ, Viri Excellentissimi, scho-
lis Goettingae transegerim, venerabunda me & aeterna
memoria servaturum, sincero Svecicoque pectore spon-
deo. Goettingae. 15 Maii. 1756.

VIRO NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO,
P E T R O F O R S S K Å L ,
HONORVM PHILOSOPHICORVM CANDIDATO
DIGNISSIMO,
S. P. D.
SAM. CHRISTIAN. HOLLMANN,
P. P. O.

Bene egregieque facis, Doctissime Candidate, quod, aditum
ad honores in Philosophia summos Tibi paratus, quae de
gravissimis quibusdam philosophiae capitibus dubia, nondum satis
saltem explorata, corroborataque, imo falsa partim, Tibi visa
sunt, liberrimo dicendi genere usus exponis. Egregium etiam
eruditionis Tuæ edis specimen, dum Tuis solius confusis viribus
cogitatorum tuorum defensionem in Te suscipis, quibus defen-
dendis minori Te ingenio praeditus aliis vix par forsitan esset.
Neque tamen dubito, Vir Doctissime, fore, ut post aliquot anno-
rum lapsum, postque iteratas saepe iisdem de rebus meditationes,
pro eodem illo, quo polles, ingenii acumine, pro illo etiam ipso,
cui deditus es, veritatis amore, longe aliter de plerisque sentire
incipias, ac nunc equidem sentis, multaque, quae difficillima
cogitatu Tibi nunc videntur, haud parum faciliora, quae levia,
contra, & expedita, Tibi nunc apparent, multo olim difficilio-
ra, neque in aprico adeo posita, aliquando videantur. Forsitan
in paucioribus quoque tunc ab illis recedes, quae aliter mihi vi-
sa adhuc esse nosti. Placet interim liberalis illa ingenii Tu
indoles, veritatisque, quod satis ubivis prodis, studium,
quo utroque efficis, ut in illis etiam, quae non nullius momen-
ti videri poterant, neminem Te dissentientem lubentius feram.
Vellem etiam, Doctissime Candidate, ut tuis argumentis
effecisses, quo in tuam concedere sententiam possem. Nostri
enim primum meum facilemque ad omne illud, quod veri modo
speciem præse ferat, amplectendum animum, a quocunque et-
iam dictum repertumque fuerit; doleoque saepe solum, non ci-
tius aut mihi, aut aliis, veri aequo studioſis, & cupidis, in
men-

mentem illud venisse. Hoc tamen animo praeditus nondum illa
rerum argumenta reperire in tua dissertatione potui, quae in il-
lis capitibus, in quibus a tot aliis, & a memet ipso, saepiuscule
dissentis, in Tuam me pertrahere sententiam possent. Scriptio-
nis hujus nimium excederet limites, si vel enumerando recense-
re singula vellem. Liber satis spissus conscribendus illi esset,
qui singula a Te mota dubia excutere, atque ex suis repeteret
quaevis fontibus, vellet. Pleraque igitur illa nunc mitto, atque
circa illa, quae contra rationis sufficientis principium disputasti,
vel propterea, bona Tua cum venia, nonnulla solum monebo, quo
de illa saltem, quam mihi in diss. Tua tribuisti, sententia, pau-
lo evidentius Lectori constet. Vel maxime vero optarem, Vir Opti-
me, ut Tibi placuisset, principii hujus defensores ad duas minimum
classes revocare, ad quarum alteram illi forsitan referri possent, qui
pro univerali quodam demonstrandi principio illud venditant, at-
que vel illorum ipsorum, quae ad rerum existentiam pertineant, ratio-
nem aliquam sufficientem quaerunt; ad alteram vero illi solum re-
ferri mererentur, qui ad res vere existentes illud solum applicant,
atque illarum inde repeteret rationem student: ad quam, si ita
Tibi placuisset, me etiam referre demum potuisses. Forsitan
enim tunc perspexisses facilius, non satis plene perfecteque aut
percepta a Te esse, aut in diss. Tua saltem recensita, quae
in institutionibus metaphysicis hac de re a me dicta sunt. Sumo
enim ibidem, tanquam ab omnibus aut concessum, aut conce-
dendum, non omnia possibilia vere existere, adeoque & alia, &
plura, esse possibilia, quam quae vere existant (ibid. §. 6.). Ex
his, post alia multa, porro concludo, solam rei alicujus possibili-
tatem ad existentiam ejus veram realemque haud sufficere, seu
quod eodemredit, per & propter solam possibilitatem suam rem
aliquam non statim existere; siquidem possibilia alias omnia oport-
eret existere. Quodsi sola igitur rei alicujus possibilias ad ve-
ram & realem ejus existentiam non sufficit, colligere pergo; aut
praeter nudam possibilitatem aliud quid ad eandem adhuc requi-
ritur, aut minus. Quodsi nihil porro requiritur, & possibilia
tamen omnia non existunt, sola rei alicujus possibilias ad exi-
stenc-

stantiam ejus ipsam sufficit, & tamen simul non sufficit, id quod absurdum cogitare est. Quod si praeter rei igitur alicujus possibilitem aliud quid adhuc ad veram ipsius existentiam, b.e. ut vere existat, aut existere incipiat, requiritur; illud ipsum, quod ad existentiam illam requiritur, rationem existentiae illius, & si ad eandem sufficiat, rationem ejus sufficientem, cum aliis voco: propositionem autem illam, qua affirmatur, quod omne illud, quod vere est, rationem debeat habere sufficientem, cur potius sit, quam non sit, hoc potius, quam alio modo, sit, principium rationis sufficientis appello. Hic verborum meorum sensus, hacc demonstrationis summa est, quam Metaph. §. 101. sqq. dedi. Cum his, quae so, nunc contendere, Vir Doctissime, quae in diff. Tuæ p. 51. sq. mihi tribuis, & facile videbis, omissum a Te esse, quod basin & fundamentum totius meæ demonstrationis constituit: non omnia, nempe, in se possibilia, existere; totumque adeo quaestione statum, praeter Tuum forsan consilium, mirifice esse immutatum. Quando in Pneumatologia etiam ingenue alicubi professus sum, principium illud rationis sufficientis cum illo ipso, quem in me percipere mihi videor, libertatis sensu conciliare me nondum potuisse; conciliari illud nullo modo posse, quod Tibi quidem p. 64. videtur, propterea non affirmo. Mihi adhuc insolubilem fuisse nodum, modo confiteor. Forsan mihi met vero ipsi, forsan aliis aliquando, solvere illum adhuc continget. Quae ultimo tandem loco p. 65. adversus principium rationis sufficientis urges, quibusve, tanquam fortissimo ariete, ad extremum illud concurtis, & subvertere studes; illa vero in omni tandem systemate admittenda sunt, in quo futurorum contingentium infallibili præscientiae, quocunque etiam modo voces accipiuntur, locus relinquitur: unde nec difficultates de origine & permissione mali in ullo horum systematum solvi adhuc, ex philosophantium voto, potuerunt. Vale Vir doctissime, & Patriam Tuam, remque literariam publicam, quod egregie facere coepisti, diu feliciter orna. Scribcb. in Academia Georgia-Augusta d. 3. Jun. MDCCCLVI.

CAN.

CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D.

IOANNES DAVID MICHAELIS,

M*ichi vero non solum molestum non est, quod de principio rationis sufficientis dubitans, ea quoque oppugnas, quae in philosophumenis meis de peccato (*) pro illo dixi, sed varias ab causas valde jucundum.* Primo enim auditorum eo genere, quod magistris suis placide nec dubitanter credit, adeo non delector, ut potius, si quos tales habeam habiturus sim, (quod Deus omen avertat) pudeat obsequii, infelicesque hac parte existimem magnos etiam philosophos, quod multos nacti sunt servos aseclas. In ingenti enim illa ingeniorum humanorum diversitate, accedente non minus varia ac multiplici institutione & disciplina, accidere vix posse arbitror, ut duo in omnibus consentiant, nisi alter sit alterius servus, dissensurus, si sentire & intelligere auderet, sed ita negligens ac remissus, ut pigeat in verum inquirere: quapropter illum in philosophis eclecticis minime censeo, qui cujuscunque magistri omnes defendit sententias, quantumvis affirmet juretque, non viro se credere sed argumentis. Mibi quidem, vere ac post seriam dubitationem in omnibus sententiis idem unusque mecum, monstrum & portentum videretur: ut, si alium mihi vultu, voce, literarum ductu prorsus similem invenirem, meam vocem, meam manum, meum in illo vultum, non diligarem, sed fugerem & expavescerem. Quamvis ergo non negem, pulcherrimum mihi videri, & esse exoptatissimum, si quas meas sententias auditoribus persuadere, argumentisque eos cogere possim, ut idem mecum teneant: non minus tamen placet dissensus in aliis rebus, quo uno constat, reliqua non explorata credi. Talem Te semper dilexi auditorem, talem expertus sum, multa Tecum, cum de reliquis communibus studiis, tum de illo, quod jam oppugnas, principio rationis sufficientis disputans, idque certe a Te impetrans, ut poenarum & praemiorum utilitatem & necessitatem eo non tolli faterere. Haec sunt, quae de libertate auditorum sentio: eaque me sentire exteror etiam scire velim, cuius Te, non magnae quidem &

**

arduae

(*) Gedanken über die Lehre der heil. Schrifte von der Sünde, als einer der Vernunft gemässen Lehre: §. 18. 19.

arduae, sed laudis tamen, paeconem incorruptissimum eo majo-
ri amore complecti debeo, & vero complector. Multi sunt, qui
philosophos eclecticos, ore ac voce pae se ferunt, atque in cathe-
dra pulcherrime, dubitandi & libere sentiendi paecepta tra-
dunt, aegre autem ferunt, si quis discipulorum ea via ire aude-
at, quam paecipiunt: quo ex genere me non esse, Te Tuam
que dissertationem testes habeo. Ipsius paeeterea philosophiae &
veritatis causa gaudeo, quaestionem unam pene omnium aut ob-
scurissimam aut certe gravissimam a Te tractari, modesto, cau-
to, solumque verum quaerente adversario, cui paeclarum obti-
git & acre ingenium. Multis enim & servidis multorum vo-
cibus parum promovabitur, atque sunt etiam, quibuscum ne qui-
dem disputandum, nec respondendum illis arbitror, sed tacite
ferendas eorum oppositiones & maledicta: at si unquam veritas,
a tot inde seculis dubitata maximorumque virorum disputationi-
bus agitata, ita illustrari possit, ut aliquae lites conticescant,
fiet id, quando tales ei obtingent, qualem Te amo, dubitatores
& adversarii. Intelligis quidem, Tua me commentatione non-
dum a prisca dimoveri sententia: cuius constantiae causas publi-
co Tibi, ut jubebas, colloquio exponere dulce fuisse. Impeditus
autem itinere ad grandaeum patrem cras suscipiendo, alio id
tempore, & scripto, faciam, utque rectius facere possim, Tua
argumenta saepe animo volvam, atque Tecum iterum dubitato.
Mibi quidem, solum verum quaerenti, perinde est, utra vincat
sententia: nullis philosophorum castris sacramentum dixi, nec
meis sententiis: ac ne est quidem, cur pudeat me errasse, si er-
roris convincar. Quod si illi sibi ignominiae ducere possunt, qui
philosophiam profitentur, mihi certe, amore & studio, non vi-
tae genere philosopho (quamquam hoc ipsum arrogans videri
possit, sed philosophi nomen non ex usu sed ex etymo existimari
velim) mihi inquam, qui in philologia orientali habito, facile
& condonabunt alii & ipse condonabo, siquid me humani in phi-
losophia passum agnovero. Tu vero benevolam mei memoriam
recole; ego amici, cuius excellens ingenium magnamque &
variam eruditionem mirifice dilexi, a quo & Svecicis literis im-
butus sum, quas mihi pro Orientalibus reddidisti, nunquam ob-
liviscar. Goettingae die 2. Junii 1756.

§. I.